


LVNÆ DIE 16 M. DECEMBRIS A. 2013

A.d. XVII Kal. Ianuarias a. MMXIV

I 77

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128

DE HODIERNO LATINITATIS VIVÆ STATV

Ante paucas septimanas me diu interrogavit diurnarius quidam Americanus pro *Wallstreet Journal* laborans, qui symbolam de Latinitate Viva conscribere in animo haberet; Scholam Novam etiam invisit ac sessionem Circuli Latini Belgici mense Septembri habitam participavit.

Quid Americani iudicare possent de re tam tenui tamque incerta, ut hodie est Latinitas Viva, mecum volvebam. Semisæculo enim post initium Motus Latinitatis Vivæ fatendum est eum vix successisse.

In symbola anno 1952 divulgata, i.e. paulo post alterum bellum mundanum, Iohannes Capelle, Francogallus ingenarius rectorque universitatis Nanceiensis, scribebat nullam verisimiliter linguam nationalem ab universis acceptum iri; quin ergo ad linguam Latinam, quæ per tot sæcula optimum communicationis instrumentum inter doctos fuisse, homines se converterent? Latinam tamen linguam in usum restitu non posse nisi docendi rationibus funditus mutatis.

Recte quidem iudicabat, sed hoc factum non est. Cur? Imprimis, quod academici professores non solum noluerunt quicquam in institutione mutare, sed insuper Motui Latinitatis Vivæ diffidebant, timentes ne minueretur auctoritas propria. Eis Iohannes Capelle iam anno 1959 respondere debuit inter secundum Latinitatis Vivæ conventum; dixit enim Francogallice hæc: Motum Latinitatis Vivæ amicitiam quærere omnium linguæ Latinæ amicorum; eum nullo modo æmulari doctas societas, quæ superiora studia Latina magna cum auctoritate et successu regerent; solam huius linguæ utilitatem ei esse curæ. Nostris temporibus id, quod ‘utile’ non esset, e programmatibus scholaribus mox tolli; linguam Latinam non iam tradi posse ut vanum mentis ornamentum. Eam autem iuvare posse scientificam educationem, cum exerceretur iudicium, acueretur mentis subtilitas et augeretur facultas compromissi. Oportere ergo docere modo moderno et attractivo.

Nec politici, quorum auxilium erat omnino necessarium, Latinitati Vivæ faverunt, imprimis quia plerique iam non erant eruditæ ac timebant ne lingua Latina sibi esset discenda; insuper in Francogallia, ubi, abolito regno, lingua Francogallica facta erat incolarum solum vinculum, vetitus est publicus usus linguæ Latinæ, quæ ab eo tempore haberi debuit ut mortua.

Erant tamen homines in Europa necnon in America, qui linguam Latinam nollent duci mortuam; putabant eam magnæ utilitati fore civitatibus Europæis, quæ confœderari conabantur; ea enim maxime pertinet ad commune patrimonium culturale.

Multi ergo homines in compluribus civitatibus pri-

vatam operam dederunt ad refocillandam linguæ Latinæ vitam. Editor Provincialis Eduardus Theodore-Aubanel periodicum Latinum, *Vita Latina* inscriptum, anno 1957 creavit. Anno 1966 cura Clementis Desessard in lucem edita est methodus *Assimil*, *Le latin sans peine*. Anno 1967 Petrus Romanelli, clarus archæologus Italus, præses Romani *Istituto Nazionale di Studi Romani*, in suo Instituto locum facere valuit futuræ Academiæ Latinitati Fovendæ. Anno 1973 doctor Cælestis Eichenseer, benedictinus, in Germania primum Latinitatis vivæ seminarium instituit; anno 1976 professor Christianus Helfer eum vocavit in sociologiam cathedram universitatis Saravipontanæ, ut novus moderator periodici Latini, c.t. *Vox Latina*, fieret; ambo Societatem Latinam creaverunt, cuius scopus erat vivam linguam Latinam docere necessariisque neologismis locupletare. Propter eorum industrias anni octogesimi fuerunt Latinitatis vivæ ætas aurea: seminaria multiplicabantur inque variis civitatibus habebantur, utilia neologismorum lexica edita sunt; circuli Latini orti sunt in diversis regionibus.

Seminaria Latina æmulos generuerunt; Ferias Latinas instituit Suitbertus Siedl, Austrius carmelita decalceatus, Ludos Latinos Valahfridus Stroh, philologiæ classicæ professor in universitate Monacensi, alia alii...

Quamquam Latinitas viva in publico notior facta erat, nulli progressus interea facti sunt in institutione scholari, quæ insuper ubique coartabatur. Lingua Latina non accepta est inter linguas Communis Europææ.

In ipsa Academia Latina sermo usualis iam non erat Latinus, sed Italicus; inter sodales perpauci operam dare volebant vivæ Latinitati; fere omnes erant academicí professores, qui Latinitatem vivam nequaquam amabant; inter eos nonnulli suadebant ut etiam in conventibus acroases facere liceret sermone vernaculo.

In Academiæ sessione mense Aprili a. 1986 habita prof. Iosephus IJsewijn acroasin fecit «De fortuna Latinitatis: quid sit futurum cras, quæramus», ad quam Cælestis Eichenseer respondit hæc: «... Non omnes possunt instigari, ut statim Latine loquantur. Sed est quidam circulus vitiosus. Professores universitarii nolunt sententiam Latinam proferre. Unde discant magistri, unde discant discipuli? Magistri non audirent professores Latine loquentes, discipuli non audiunt magistros Latine loquentes, paucis exceptis.» Cui respondit professor IJsewijn: «Ego credo non tanti momenti esse nostro tempore – pace tua dixerim – Latine loqui; maioris momenti est Latine scribere de philologicis, theologicis, philosophicis; non credo fieri posse, ut iterum de rebus mathematicis et physicis <et

aliis> viri docti Latine scripturi sint, non credo hoc. Agitur de rebus nostris humanioribus: in rebus huma-
nioribus servetur Latinitas et notitia linguae Latinæ»¹
et addidit de rebus physicis, technicis, atomicis
aliisque scribi posse lingua Anglica.

Idem professor IJsewijn, Academiæ conventum in Belgica anno 1993 instituens, acroases sivit etiam lin-
guis vernaculis fieri; cum pauciores quam speraverat
fuissent oratores, dixit in «Relatione retrorsum spec-
tante» plerosque philologos «vereri ne nomen suum
cum viva, quæ dicitur, Latinitate publice coniungeretur
ex eo quæ doctæ famæ detrimentum caperent.²

Feliciter non omnes linguam Latinam ducunt mor-
tuam. Tuomo Pekkanen Academiæ conventum in
Finnia anno 1997 instituit; etsi omnes acroases Latinas
esse voluit, conventus optime successit. Idem anno
1989 hebdomadales emissiones Latinas in radiophonia
Finnica creavit, quibus eventa nostri temporis nuntian-
tur etiam neologismis, si necesse; optimum successum
habent etiam extra Finniam. Tuomo Pekkanen, anno
2004 Academiæ Præses factus, usum linguae Latinæ in
sessionibus restituit.

Anno 2012 Academiæ statuti mutatio facta est, qua
accessus nunc patet hominibus Latine doctis, qui non
sint philologi sed varias artes exerceant.

Quæ cum ita sint, valde mirati sumus, cum acroa-
sin audiremus ab amico nostro Aloisio Miraglia
Amstelodami præterito mense Martio factam et in
interreti divulgatam.³ In qua orator, et ipse Academiæ
sodalisis, prædicat linguam Latinam servandam esse
mortuam, ne degeneret cultus humanitatis. Latinitatem
vivam esse ioca, Latinitatis autem vivæ fautores otio-
sos, qui nihil habentes, quod faciant, se delectari
soleant in circulis, ubi de aeroplanis et aliis verbis
pseudo-Latinis colloquendo tempus terant. Hæc qui-
dem verba sunt satis contumeliosa; scopus enim cir-
culorum in eo est, ut Latinitatis cultoribus detur
occasio loquelam Latinam exercendi; non omnibus
enim contingit in Vivario Novo vivere. In circulo
nostro Bruxellensi solemus imprimis de aliquo argu-
mento sive politico, sive historico, sive philosophico
sive sociali disceptare; deinde nonnullas paginas ali-
cuius Titini libri describere; denique aliquem textum
una legere et explicare; verba nova non fingimus
otiosi.

Academiæ tamen ab initio est neologismos fingere;
inter huiusmodi lexicographos citandi sunt Iosephus
Maria Mir, unus ex Academiæ conditoribus et modera-
tor periodici *Palæstra Latina* inscripti, Cælestis
Eichenseer, Academiæ sodalis et moderator periodici
c.t. *Vox Latina*, necnon Tuomo Pekkanen, nuper

Academiæ præses et conditor Latinarum emissionum
radiophonicarum in Finnia; suntne re vera illi viri
nugatores?

Si oratorem sequimur, lingua Latina non adhibebi-
tur nisi ad litteras præsentim antiquas colendas ac mox
a solis philologis adhibebitur (dum consentiant!) in
universitariis cathedris magis magisque rariss. De cete-
ris autem rebus sufficiet Anglice colloqui; equidem
cum Aloisio nostro semper Latine collocutus sum,
etiam de rebus præsentibus.

Ceterum neologismi non sunt verba pseudo-Latina,
sed secundum certas regulas finguntur, quas Cardinalis
Bacci, auctor clari *Lexici vocabulorum quae difficilius
Latine redduntur*, dilucide definivit in acroasi inter
Conventum Romanum anno 1966 facta. In qua inter
alia monuit Quintilianum non solum accipere vocabula
iuncta e sermone Latino et peregrino, ut «biclinium»
aut «epitogium», sed etiam ex duobus vocabulis pe-
regrinis, ut «epirædium», cum sit «epi» præpositio
Græca, «ræda» Gallicum. «Romani suum ex alieno
utroque fecerunt».⁴ Et hanc protulit orationis conclu-
sionem: «Hæc autem hac una de causa feci, ut nempe,
pro facultate mea, ostenderem Latinam linguam posse
res quoque novas et nova excogitata non inelegantibus
significare ac describere verbis.»⁵

Humanitas mihi non videtur esse coartanda: nihil
humani a me alienum puto, cum Terentio Afro dicam.⁶
Quare operam dare pergemus, non solum ut lingua
Latina colatur ad auctores legendos, sed etiam, latius,
ut sit simplex sermo quam plurimorum hominum præ-
sertim in orbe populorum, quorum hereditas plus
minusve est Latina. ☩

Gaius LICOPPE

1. C. Eichenseer, «De itinere Romano et consessu Latinæ Academiæ
Romanæ», *Vox Latina*, fasc. 84, Saraviponti, Societas Latina, 1986, p. 236-237.

2. *Acta selecta Octavi Conventus Academiæ Latinitati Fovendaæ (Lovanii et
Antwerpiae, 2-6 Augusti MCMXIII)*, Romæ in ædibus Herder, 1995, p. 826.

3. http://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo.

4. *Inst. I*, 68.

5. *Acta omnium gentium ac nationum conventus Latinis litteris lingæque foven-
dis*, Romæ in ædibus Caroli Colombo, 1968, p. 299-310.

6. *Heautontimorumenos*, v. 77.

SVPERSTES

- *scripsit Daniel Blanchard -*

Cum primum eum vidi, ambulabam animi recreandi causa in magna Lutetiae necropoli quæ Patris Lachaise nomen accepit. Inter vetera monumenta cogitabundus errabam, et umbram captabam sub altis queribus platanisque. Tumuli præteriorum sæculorum insunt, humiles superbique, ædiculae, inscriptiones, loculi. Clarissimi homines in hac quieta parva urbe sepeliuntur. Media hebdomada rari sunt periegetæ, et locus secretis meditationibus idoneus est. Minus diligo recentiores partes: illuc enim breves arbores nullum tegmen ferentes, atque adhuc fervens familiarum dolor; illuc frequentes audiuntur fletus gemitusque.

Immo illo die in regione veterrima ambulabam cœmeterii, ac sine festinatione in monumentis nomina legebam. Tumuli in ordine stabant cani et humiles sub ramis antiquarum arborum. Primum mihi visum est gemitum audire. Vocem viri fletum continentis percepit. Satis insolitum est in hoc loco, ubi monumenta undevicesimi sæculi sunt, lacrymantibus familiaribus obviam ire. Non autem rem amplius cogitavi, et ambulationem perduxi, usque dum verba ex longinquio audi vi pauca. Fremui. Erant enim Latina. Non orationis cuiusdam christianæ, sed cotidiani familiarisque sermonis erant. Curiositate tunc excitatus, appropinquare clam statui, et ex alio latere tumulorum ordinis verba latens proprius audire. Di magni! Erat profluens Latinitas, verba sine præcognitione manabant. Stupui. Moveri nequibam. Vir amicum defunctum verbis Latinis adloquebatur, salutabatque. Tunc lacrymosus stetit ad tumulum, paululum singultans; lacrymas in genis siccavit, et lento gradu abscessit.

Profecto viro, scire cupiebam cuius hominis tumultus esset. Sunt interdum monumenta recentiora in antiquis partibus necropolis. Denuo stupore velut fulgere tactus sum: in lapide incisa erant hæc verba: HIC JACET PETRUS ALOSIUS LEFEBVRE MAGISTER 1819-1853. Nesciebam quid facerem, utrum somniarem. Censui rationem aliquam rei huic sine dubio esse. Haud diu loco hæsi. Gradum properans, virum, quem Latine loquentem audiveram, adivi.

Cum eum attigi, momento temporis dubitavi. Num decet hominem dolentem temere adloqui? Nonne molestus eram? Curiositate autem magna motus eram, et appropinquans ei dixi:

«Domine, audaci ignosce iuveni, qui tamen molestus esse non vult. Audivi te, cum ambularem, Latino sermone loqui, unde magna cupiditate affectus sum tecum consuetudinem iungendi, quia sum strenuus cultor amatorkue huius linguæ hodie nisi a raris de spectæ. Te ergo salutandum putavi, deposito omni pudore timiditateve.» Incomptus sermo ex fauibus

meis exiit, nec firma voce loqui valebam. Vir gradum stitit, et stupens me consideravit. Ipse erat statura brevi, exiguis humeris, cœruleis oculis, fuscis capillis. Videbatur esse plus minusve eiusdem ætatis ac ego, qui tricenarius sum. Vestitus erat more eleganti, et classicissimo. Habebat exempli causa per pulchrum focale, non huius farinæ, quæ in omni taberna reperiatur. Immo exquisitum erat, ac versicoloribus ornatum delineamentis. Quid amplius dicam? Subito notavi tristitiam eius, miram, gravem, quæ omnia facie linea menta deformabat. «Insolitum scilicet est Latine loquentem hac ætate convenire. Fortasse licebit te invitare ad tabernam quandam. Illic narrabis, cur tibi ita cordi sit lingua nostra.»

Sic consuetudinem cum Augustino iunxi, die quodam Mai, sub florentibus ramis altarum arborum in coemeterio Parisiorum. Sol luce lapides inundabat tepida, et folia molli zephyro agitantur.

Post aliquot dies, resonavit tintinnabulum telephonii mei. Statuimus una cenare. In anima mea confligebant cupiditas amplius consuetudinem iungendi atque timor rei cuiusdam inexpectatæ. Quasi præmonitio. Nonne in loco lugubri primum conveneramus? An bene congruemus? Distantiam percepseram in voce eius; ipse tamen me vocaverat. Aliiquidne præsentieram? Fortasse nimis audax fueram? Nihil de eo sciebam, præter quod, sicut ego, Latinitatem vivam colebat. Hora autem statuta in caupona vici Latini eum exspectabam.

Advenit cum parva mora, adseditque ante me. Statim Latine cœpimus loqui. Primum rogavit:

- Ubi didicisti tam bene Latine loqui?
- Fundamenta in schola didici: postea consuetudinem iunxi cum hominibus qui Latinitatem colunt vivam. Ea enim utuntur ad res suas curandas. Sed heu, non multi exstant hodie huius generis. Deest mihi usus loquendi. Melius valerem loqui, si plures haberem amicos Latine loquentes. Tune, ubi didicisti?
- Domi, cum patre.
- Cum patre? Non intellego.
- Pater meus fuit eximius magister linguæ Latinæ, atque voluit mecum Latine loqui, cum mater loqueretur Gallice. Sic ambas linguas, id est vernaculam Latinamque iam parvulus noveram.
- Felix es. Linguam Latinam (licetne «nostram» dicere?) sic bene novisti. Expeditor est elocutio tua quam umquam erit mea.
- Gratias ago, ait subridens. Valde iuvenis es, studesne adhuc?
- Minime, iam doceo. Magister sum linguæ NOSTRÆ.

- Nonne fastidium suscitant discipuli?
- Hercle, res haud facilis est. Officio autem meo delector. Quid de te? Quomodo victum meres?
- Vendo archetypos.
- Quid sibi vult?
- Libros, nummos, tabulas pictas, tales res vendo. Nec tabernam habeo. Omnia domi servo. Codicillos idoneos habeo, ubi recludo nomina emptorum, et novi quæ appetantur. Si ergo aliquid pulchri emo, celeriter vendere (commode pretio) libet.
- Suntne tibi multi emptores?
- Multi, præcipue mercatores.
- Es ergo homo clarus! (inquam ridens)
- Avertat Deus omnipotens!
- Qua re dicis?
- Crede mihi, si vis bene vivere, noli famam quærere. Expertus loquor. Sed de aliis rebus loquamur. Quos libros Latine legis?

Sic transiit primus cum eo vesper, inter amœnos sermones. Augustinus enim omnium rerum peritissimus esse videbatur, qui non solum sermonem meum benigne emendavit, rara verba docuit, sed etiam nihil ignorabat de historia vel de vita hominum artificumque qui olim claruerant. Lepida eius confabulatio, lingua ornatissima, elegans, continensque erat. Apparebat tamen magna amaritudo, quæ iuvenem faciem eius parum decebat. Sunt homines quos vitæ gaudia movere non valent, et Augustinus videbatur esse unus ex eis. Cum eum post cenam abeuntem salutavi, nihil antiquius mihi erat, quam ut eum denuo convenirem.

- Occasio mihi data est aliquot diebus postea, cum casus me obvium ei duxit apud bibliopolam.
- Tu quoque hoc terribili vitio afficeris? dixit sereno vultu.
- Libris antiquis delector, ut vides.
- Quid tenes?
- Noctes Atticas Auli Gellii, Argentinæ impressas anno MDXXI. Vide, quam elegantes sint typi.
- Aulus Gellius quam optimus scriptor fuit! Cultorque purissimæ Latinitatis! Emesne hanc editionem?
- Emam.
- Si vis rogabo bibliopolam ut modiciori pretio tibi eam vendat. Homini amicitia coniunctus multis annis abhinc sum...
- Rectius dicere non possit, inquit bibliopola, Augustinus iam fere triginta annos tabernam meam frequentat, nec ei mutata est facies. Utinam arcanum suum revelare vellet... Res mira est, vere...

Augustinus repente turbatus est. Vidi fastidium in oculis eius.

- Noli eum audire... Aniles fabulas narrat... Omnes senescimus, et iste mentem amisit. Verum tamen est, cum primum huc veni iuvenis eram.
- Iam quæreas libros tuos Latinos. Ingentem bibliothecam Latinam habes nunc, nisi fallor. Aliter fieri non potest.
- Nonnullos habeo, recte mones.

Tunc ego: «Quid in vita dulcius, bibliopola?»

Ab illa hora sinceram amicitiam perspexi. Eum domum invitavi, ut videret libros meos. Deinde ad museum Luparae. Semper ei in mentem veniebat aliquid insoliti quod narraret de scriptoribus, de moribus maiorum, vel de operibus, quæ videbamus: tam doctus comes numquam mihi fuerat. Audaciam in necropoli adhibitam clam laudabam. Mecum semper amicissimum se præbuit. Attamen, verborum gravitate, productis interdum silentiis, aut tristi lumine in oculis eius, cum libros aliquos tractaret, eum non omnia de se dixisse monebar, atque præter modum mala passum esse.

Solebam Iovis diebus post scholas datas apud eum cenare. Nullo pretio prætermissem cenas nostras: omnia impedimenta caute vitabam. Licebat enim usque ad multam noctem colloqui, nam nullæ scholæ diem Veneris occupabant. Sic omnibus curis solitus eram. Verum die Saturni maturissime ad lectum ibat, nam pientissimus erat, et semper ad missam hora septima matutina properabat. Cena apud Augustinum erat ritui antiquo similis, obsoleta urbanitate elegans, tarditate solemnitateque plena: dicere solebat se hodiernorum iuvenum misereri, qui ante televisorium cibos insipidos vorent, atque dulcem vitæ saporem sic amittant. In mensa ponebantur pulchra vasa, ceræ accensæ, cristallina pocula, omnia (ut aiebat) quæ pertinerent ad bene iucundequæ vivendum, sine quibus (aiebat etiam) vita nihil nisi longum supplicium esset. Sumpta cena, sedebamus in bibliotheca, quæ amplum spatium occupat. Ei enim sunt plus quam decem milia librorum, quorum maxima pars Græce Latineve scripta est; nummos etiam Romanos colligit.

«Desiderio linguae Latinæ excrucior, nisi Latine satis sæpe loquor», ait, «aliæ linguae sine dubio forma non carent, attamen solius Latinitatis amore flagro. Libri, quos vides, sunt mihi quasi amici.»

Vespere quodam, cum in bibliotheca sedebamus ac de vetere editione Horatii carminum disputabamus, pulchritudines tyrorum carpentes, commentaria notasque scrutantes, audivimus telephoni tintinnabulum. Surrexit Augustinus, reliquitque locum ut peten-

ti responderet. Solus inter libros mansi. Legebam odam «Exegi monumentum...», cum docto commentario Lambini, de obscuris verbis, de decursu temporum, necnon de æternitate animi Horatii. Adhuc loquebatur Augustinus in atrio. Surrexi et reposui librum in thecam. Libri ubique erant, usque ad lacunar. Erant et parvum simulacrum clari viri cuiusdam, et semihians capsula, veteribus photographematis repleta. Cogitabundus imagines inspexi. Imagines erant hominum, qui sedulo machinam photographicam spectabant, pulchris vestimentis induiti, aut viarum, quæ equinis rædis occupabantur. Subito imaginem animadvertisi. In ea videbatur vir, qui omnino Augustino similis erat facie. Petaso alto, ut mos ineunte vicesimo sæculo erat, caput tegebatur; synthesi nigra, subucula alba, atque focali gracili inducte. Iuxta eum stabat vir barbatus, pallio severo vestitus. Lutetiæ erant, non longe ab magno theatro lyrico. A tergo imaginis, erat inscriptio Latina: «Cum professore H. post iter Romanum, anno MMXI.» Denuo imaginem inspexi. Faciem viri, qui in parte dextera stabat. Oculos eius, rictum, labia, frontem, totamque figuram caute inspexi. Adhuc photographema manu tenebam, cum rediit Augustinus in bibliothecam. Cum me vidi, gradum stitit.

- Estne avus tuus? Quam similis ei videris!

- Non est.

- Quis ergo est?

- Ipse sum.

- Quomodo fieri potest?

- Ipse nescio.

Diu siluimus. Stupebam. Dolebam. Timore capiebar. Perditus eram.

- Nunc arcanum meum scis. Quæso, ne cui dicas. Terrible est perpetuo fugere. Quietem tandem cupio. - Quid fugis? Nihil intellego. - Molestam hominum curiositatem atque cupiditatem. - Quid accidit? Obscuriora profers. - Num intellegis? Ego sum in photographematis. Horrendo malo afficio: non senesco. Omnes circa me senescunt, ego vetus sum, nec senesco.

Hæsi, et tacui. Flebat ille.

- Quam multi sunt homines, qui tuo more perpetua iuventute frui cupiunt! Qua re ploras?

- Nesciunt, quid cupiant. Crede mihi, res non est facilis.

- Sed... sine dubio vidisti res quas omnes vidi somniant!

- Vidi et perdidì.

Nesciebam quid facerem, dum flebat. Surrexi, et abiui.

Post aliquot dies, me telephonice compellavit.

- Visne Iovis die apud me cenare? Sunt multa certe, quæ rogare cupis.

- Recte dicis... Veniam. Hora solita... Bene vale. In proximum.

Vespere illo me comiter accepit.

- Quid rogare cupis? Libere loquere, ego respondebo.

- Quomodo rem animadvertisisti?

- Quando frater meus morbo consumptus est ætate trigesinta duorum annorum. Ego, qui maior natu eram, faciem habebam tam iuvenilem, quam hodie vides.

Perierunt parentes mei, et sorores, et liberi earum. Ego non mutabar.

- Habuistine filios?

- Numquam prolem habui. Quid? Oportebit ut filios meos etiam mori videam?

- Sed... quando natus es?

- Imperatore Ulpio Traiano regnante, mi bone, Marco Atilio Metilio consule. Id in schola didici. Anno centesimo nono post Christum natum, si mavis, aut nisi errant rerum scriptores.

- Tam diu vixisti? Quomodo fieri potest, magne Deus, quomodo fieri potest!

Animadvertisi me sudore madidum esse toto corpore. Tremebam propter stuporem aut etiam timorem, nescio. Flere voluisse, et aridus eram sicut lignum in deserto.

- 'Nescio, sed fieri sentio et excrucior'... dixit ironice.

- Suntne alii sicut te?

- Nescio. Numquam mihi similes inveni.

Dolorem eius tunc sentire et intelligere valui; eodem puncto temporis orta est in me ingens, strenua cupiditas sciendi. Accensis oculis Augustinum intuitus sum. Ille, haud rei inscius, lente annuit.

- Ubi natus es?

- Augustoduni. Prope Lugdunum. Nunc est parva urbs, imperio autem Romano florente, erat urbs maximi momenti. Clara erat in tota Gallia, propter nundinas, et ornamenta tum fororum cum domorum.

Rhetores noti civitatem nostram incolebant, nec dererant libri. Bene illic vivebatur...

- Heu... tunc tempora difficilia novisti...

- Recte dicis, urbem tamen iamdiu reliqueram. Notus eram, nec volui, ut accidit Apuleio, magiæ accusari. Primum ergo aufugere oportuerat.

- Barbaros vidisti, et pestem nigram, et bella... heu... tam multa...

- Pestem non timeo, qui numquam ægrotaverim!

Tempus belli immo est sordidissimum. Spectaculum humanæ stultitiae vel crudelitatis horrendum est. Felix

es, qui semper pace fructus sis.

– Belli inexpertus gaudeo. Nolo autem foedas res in mentem revocare. Dic mihi: quod est verum nomen tuum?

– Augustinus vocor, prænomine meo semper usus sum. Ut auguraris, nomen sæpe mutare oportuit. Nunc difficilis fit rerum informaticarum causa.

– Num intellexerunt homines quidam... te arcanum celare?

– Summo Deo gratias ago maximas, qui me semper a malis hominibus servavit. Soli homines, qui veritatem didicerunt, fuerunt amici. Mihi interdum inæstimabili auxilio fuerunt.

– De Deo loqueris... esne christianus?

– Sum, quamquam in iuventute mea, sive... primis annis, paternos deos colui. Sæviente Diocletiano virum christianum domi meæ celavi, qui sicut me malitiam humanam fugiebat. Ille me certiore fecit de miraculis Filii Dei, et post aliquot annos statui Christum colere. Quid proderant Lares? In tribulatione semper auxilium in Christo inveni. Et vidi res, quibus ætas nostra, vel potius, tua, fidere nequit.

– Vidisti primos christianos?

– Non vidi, nam rari erant in Gallia, neque eos tunc curabam. Præterea Martinus vel Dionysius post mortem claruerunt. Ego ruri vitam degebam. Ut vere dicam, sero ad Christum me totum contuli et baptismum accepi: fuit, nisi fallor, vivo Hieronymo.

– Vertiginibus capior: quam multa rogare cupio! Nescio unde incipiam... Heu!

– Scio. Mihi erat amicus carissimus, quem regnante Francisco Lutetiae conveneram. Cum ei primum dixi, voluit ut ei carmen antiquum recitarem. Cum fecisse... repente defecit!

– Novisti scriptores illos, quos reveremur?

– Præterita hebdomada quadam, una legimus epistulas Sidonii Apollinaris, quibus delectaris, meministine?

– Hominem novisti?

– Novi. Consuetudinem cum eo iunxi, cum iter facerem.

– Certe audisti musicam præclari Iohannis Philippi Rami?

– Ut eam adhuc audire potes.

– Audisti optimos cantores præteriorum temporum...

– Ah, rem tristem evocas. Cantores, cum mortui silent, non iam audiri valent. Poetæ, aut pictores non integre moriuntur.

– Legisti libros nobis amissos!

– Heu, recte dicas... Bibliothecam, ne mecum semper in itineribus ferre deberem, dederam monasterio cuidam: mente finge! Venerunt novi barbari, nomine

Normanni, et combusti sunt omnes libri, inter quos erant, quos regnante Hadriano emeram! Nihil pretiosius est quam libri. Artem impressoram numquam satis laudabo. Sed...

– Sed?

– Nunc scripta non perdimus. Memoria alitur, sed, cum homines moriuntur, sine remissione eos amitto.

Siluimus.

– Cum ergo in necropoli te vidi...

– Saltem mihi superest tumulus Petri. Defluentibus annis, perduntur et ossa.

– Quis fuit Petrus?

– Amicus fuit sicut tu. Latine optime loquebatur. Interdum accidit, ut in somnis eum videam, et cum eo denuo loquar. Sensus nos fallunt!

Volui aliquid dicere, nec venerunt verba in mente. Ille, demissus:

– Omnes familiares amisi, amicosque omnes. Haud raro Deum oro, ut mihi tandem mortem mittat. Fieri non potest, quin sicco oculo legam Psalmi versum: ‘Heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est.’

– Nonne tibi supersunt res pretii in terra?

– Sunt. Plus quam aurum valet Fides, sine qua sepulchrum fit vita. Vita ipsa nihil plus valet, quia semel conceditur. Homines quos convenis, fortasse numquam revidebis. Huius rei semper memor esto. Expertus dico. Tandem dicam, pretii sunt omnia, quæ pertinent ad bene vivendum. Artes. Omnia quæ ducunt ad pulchritudinem et sapientiam. Tuo tempore abundant in Gallia, nec autem sic semper fuit. Nescis quam felix sis.

Quid addere potuissem? Post longum silentium suspiravit et dixit: «Exsul sum ego, solus ævi mei superstes. Quando tandem requies?» ☩

GERARDI DORNEI BELGÆ (c. 1530-1584)

DE SATIS IRONICA ARTIS MEDICÆ HISTORIÆ SVMMA

- *textum proponit præsentatque Stephanus Feye -*

Melissæ lectores nonnullas Gerardi Dornei paginas legere iam potuerunt (Vide n. 161 m. Apr. a. 2011) quibus Carolina Thuysbaert¹ vinculum inter Theologiam, Alchemiam et Scripturam optime ostendebat.

Infra autem eiusdem Dornei voces iucandas de arte medica iam audiemus. Nam ille auctor, ut sæpe fiebat, non solum translator eruditus famosus et alchemista, sed etiam vir medicus fuit. Qui Paracelsi fautor, etsi facetam acutamque ironiam, præsertim in singulorum capitulorum operum fine exhibere solet (et hic agitur de integro ultimo totius libri capitulo...) multo minus leviter aut iocose loquitur quam mente fingimus prima lectura.

Nam disputationes inter «Methodicos» et «Empiricos», quos vocabant, erant antiquissimæ. Erasistratus, ex. gr., ille humanorum corporum dissector, qui vixit tertio sæc. a. C. natum, inter Methodicos numerabatur... Nihilominus, sub hoc tegmine antiquo agitur hic de rixis vehementissimis inter Paracelsi defensores et famosi Galeni doctrinæ rigidos servatores. Europa sexti decimi sæculi non tantum gradatim lacerabatur inter Protestantes et Contra-reformatores, verum etiam conveltebatur in orbe scientifico. Rogi «sponte sua» illo tempore facile accendi poterant...

Paracelsus ille (i.e. Theophrastus Aureolus Bombast von Hohenheim), post unum annum expulsus erat a cathedra medica in Universitate studiorum Basileæ quamquam (aut quia...) multos homines sedulo sanaverat. Qui autem abat in mineralibus quandam vim sanitativam fortissimam latere. Post Paracelsi mortem, hostes eius undique surrexerunt: eorum præcipuus fuit iste Philosophus-Medicus Erasmus (nomine Germano Græci-latinizato: vocabatur enim *Lieber*) Heidelbergensis...

Mox res amplificata est per totam Europam: Principes, iudices, advocati participare debuerunt. Tandem abolita est doctrina Galeni. Anno 1666 Lutetiæ Parisiorum Facultas antimonii usum approbavit qui antea prohibitus erat.²

Attamen ne credat lector, ut plerique hodie, Paracelsum artem medicam «traditam» evertisse ut novas theorias suas proprias imponeret! Res enim intricior est, licet male nota. Nam asserebat opinionem academicam non fuisse veram, iustum, rectam, quia deliravisset a vera Chaldæorum prisca doctrina, cuius Ægyptii etiam possessores fuerunt et quam Ethnici (quos iocose *Ætnicos* appellabat ignem infernalem referens...) ad res somniatas, leves, frivolas, inanes, fabulosas intricatissimasque seduxerunt. Econtra doctrina illa, *Vera Physica* nuncupata, in *luce Naturæ* fundamentum habebat, non in cæcitate humana. Si igitur


res videtur nova, non nisi ignorantibus appareat ut inaudita, Aureæ subito rursus splendentis Ætatis instar, ante homines ferreos qui, consopiti, eius obliiti sunt inter tempus hibernum.

«Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies cælo demittitur alto.»
(Vergil. Ecloga IV, 5)

Illud assiduum, perpetuum virideque ver veritatem virtute in viros influit, virga aurea aures verberans, ut vervex qui verbo suo tollit immunda mundi mendacis menda. Inde nempe madens verus vir medicus medularum medicinam meditatur.

Hac ergo doctrina imbutus speramus ut benevolus ac candidus lector melius capiat sequentia.



Tractus nostri pagina introductoria (Bayerische Staatsbibliothek, Münchener Digitalisierungszentrum)

HISTORIA

TOTIUS OPERIS CONCLUSIO (pag. 143)

Physica de lucis naturæ fontibus initium trahens, ali-
quid etiam in lucem adfert, quod oculis videri,
manibusque tractari queat, præter ea quæ vulgo mani-
facta sunt.

Et quod magis est, naturæ vestigia sequitur tam
exacte, ut digitum latum non aberret ab eius documen-
to. Inde sibi veræ Physics nomen assumpsit ars
Destillatoria, vel potius Latentium formarum investiga-
toria: quod in antiphysicam transmutaret, si ductricem
naturam non imitaretur magis, quam illa nihil agens
Physica horum, quæ dicta natura docuit.

Nostræ Physics finis est Medicina vera: imo
potius eius filia, quam ex proprio suo peperit utero,
scilicet Experiencia: non illa, quam nunc explicabimus,
sed alia quidem hac longe præstantiore.

Notum est omnibus, Apollinem post nostræ
Physics oblivionem, primum fuisse, qui Medicinam
Empiricam ob nostræ defectum, vel ignorantiam
potius, exercuit: quam etiam primus adinvenit. Is
propter aliquot experimenta, quæ successerant illi
coram populo, fuit in Gentiliorum deorum numerum
asscriptus: cui templum etiam dicatum extitit. Huic in
eadem arte successit Æsculapius,³ Apollinis (ut fertur)
filius: quem hac ipsa ratione Gentiles etiam inter suos
deos, ut patrem, assumpserunt, temploque donarunt.

Post horum mortem nulla fuit adhuc Medicina
scripta: sed ab Æsculapii templo cœpit, edicto regio sic
iubente: Si quis aliquid in se, vel in alium expertus in
Arte medica fuisset, hoc ipsum in tabella descriptum,
templi parietibus affigeret: quibus describendis experi-
mentis præfectus fuit Hippocrates.

Hic omnium primus vulgaria muliercularum, rusti-
corum & aliorum experimenta redegit in ordinem: ex
quibus postmodum *Aphorismos*, & *Methodicam* de-
scripsit *Medicinam*: quæ quidem in hunc usque diem
per vicos obambulat.

Methodici tandem isti Medici suos progenitores,
Empiricos nempe, suis in fratribus degeneratione qua-
dam sic aspernantur, ut illos in mortem usque non
vererentur (si liberum foret) persequi. Videte, quæso,
Lectores optimi, si iustum sit, Apollinem &
Æsculapium excludere: Hippocratem autem & sui
sequaces ad Medicinam in eorum locum substituere,
vulgares anus & rusticos, a quibus iste didicit, doctis
præclarisque viris, obscuros pluris facere? Empiricam
denique Medicinam, ut beneficam, detractant, cum
tamen Apollo & Æsculapius eam sectati sint: imo vul-
gus, rusticæ, mulierculæque, de quorum labore methodi-
ca Medicina surrepta est, Empirici fuere: nisi fortassis
de caponum genere se dicant, patre matreque, nec
non fratribus, suaque progenie tota nobiliores illi, qui

tam acriter in Empiricam invehunt.

Famulos suos, quorum opera sufflandis carbonibus
artem imitando Chymicam, usi fuerunt, delicatas
manus maculare nolentes, Empiricos inepte vocant,
quos ipsimet fecerunt circumlatores. Demum fingunt
Hippocratem Rationalis Medicinæ primum fuisse
Principem: tamquam Apollo & Æsculapius absque
ratione suis experimentis solis innixi fuissent.

Quo quidem absurdius nihil dici potest, quam
experimentum primum aggredi posse quempiam, nisi
motus aliqua ratione, sive bona, sive mala, prius non
opinetur experimentum hoc illi successurum: alias non
tentaret.

Nec est, quod adferant istorum adversarii, nullam
certitudinem in experimento primo fore. Sic etiam in
methodo prima nullam habuit, qui stabilivit eam, nisi
prius expertus sit, quod ex ea docere conatus est.
Quapropter Empirica prima sua ratione carere non
potest: nec sua Methodica.

Rationalis quidem per se potest existere, si nihil
operetur: at istæ non bene persistunt absque ratione.
Delirant etiam in eo, quod *Aphorismos*, & alia, quæ
docet Hippocrates, sub rationali Medicina statuunt,
dum dicunt, ipsum fuisse rationalis Medicinæ
Principem. Nam illa, quæ tractat, docendi viam conti-
nent per methodos: ut dicti sunt *Aphorismi*, qui nihil
aliud habent, quam generales docendi canones, & com-
pendia quædam.

Quapropter non est, quod alios se fore Medicos
recentes iacent, quam Methodicos ab Empiricis
derivatos.

Quod sibi solis medendi rationem adscribant, &
alios ea privare conentur, valde præsumptuosum est.
Cum adhuc ignorent, quid sit ratio vere naturalis:
quanto magis, quid rationalis Medicina?

Hanc suam rationem esse dicunt, quod morbo calido
frigidum adhibent medicamentum, & econtra: tum
humido siccum, & istud illi: verum subtilcent, quod,
cum de medicaminum suorum gradibus non usque
adeo certi sint, nisi per aliquod gustu, vel olfactu frigi-
dum satis indicium factum, id coniectent: de morbo-
rum gradibus nihil prorsus in humorum quatuor a se
positorum qualitatibus iudicare valent. Suæ rationis
igitur vix medianam partem tenent. Quid adhuc se
Rationales solos extollunt: alios vero brutales existi-
mant, cum tamen rationis ordinem proportionemque
nullam in morbis habeant?

Nunc quid ratio naturalis existat, audiant: &, si
potiores habent rationes, adferant in medium.

Ratio naturalis proprie dicitur, divinæ mentis in
rebus naturalibus ordo. Cum igitur talis ordo consistat

HISTORIA

in tota solaque natura, non extra eam ad rationis Physicæ cognitionem integrum est necessaria naturæ plena cognitio. Sed recentes qui sunt Medici, naturam vix superficialiter, hoc est, ex solo manifesto, norunt: profundam illam, & corporalem naturæ dimensionem, quæ latet in occulto, prætereunt: cum tamen illa sola sit, quæ Medicum rationalem efficiat.

Erunt igitur propter huius notitiam, quam habent Chymistici medici, multo magis Rationales, quam sint eorum adversarii. Illos tamen & isti non cessant etiam ad mortem usque persequi: quam quod illis inferre libere non possint, suis universitatibus & collegiis excludunt eos, eiiciunt ac prorsus enervant. Quid mirum? Principum privilegiis peroptime se tuentur, rationibus vero nullis: & tamen solos Rationales esse se Medicos verbis animose contendunt.

At si coram aliquo Principe cogerentur argumentis naturalibus experimento probatis conflictari, mox audiretur:

«Cum Empiricis & Chymistis non contendimus: Doctoratus nostri gradus hoc habet privilegii, ut cum illis, qui laureati non sunt, minime cogamur disputare: quod si etiam temere faceremus, ultra quod nostras effringeremus consuetudines, & iuramentum, quod Universitati præstitimus, plurimum diminueremus authoritati nostræ.»

Hæc & alia multa sunt eorum subterfugia. Quid cum ipsis agendum erit vobis, ô Chymistæ, necnon vos Empirici? Scio vobis remedium ex communi proverbio: *Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.*

Principum & vos privilegia si habueritis, quibus Academias instituere Chymisticas & Empiricas, vobis liberum sit graduatos etiam in arte vestra creare doctores: non relinquetur illis subterfugium, quin vos cogantur ad quascunque disputationes admittere: nisi fortassis adferant, Gradus vestros esse metallicos & alienos a suis, qui lignei sunt ex vegetabili substantia: fortassis ex xilœbano constructi, minus duri, quam ut possint metallis resistere.

Sed iocosa modo relinquamus, rem serio potius aggrediamur.

Medici recentiores antiquioribus Medicis Chymisticis detractant: interim in desperatis morbis, quibus ex suo studio remedium adferre nullo modo possunt, ad Chymistica medicamenta confugere, tamquam ad sacram anchoram, non verentur. Testatur ipse *Matthiolus in Dioscoridem*, Antimonii præparationem docens, & (quod magis est) huius medicamenti non modo restitutionem, sed etiam inventionem atque pri-

mam tentationem, Theophrasto Paracelso deberi soli fatetur ingenu: quem adhuc, ut venenum, detestantur hominem, non alia de causa, quam quod eorum ab Apolline usque ad extreum facile superarit omnium ingenia: tum, quia vetustissimam illam e naturæ fontibus erutam docet Medicinam ipsis incognitam.

Nova dicunt virum hunc in medium adferre dogmata: quia tantum illis ob ignorantiam nova fore videntur. Si nova sunt: quare igitur tam avide cupiunt intelligere? Cur libros eius, quotquot inveniri possunt, emunt? Quod si non intelligunt artis vocabula Chymistis familiarissima, quare non suo, & non alieno labore fiunt Chymistæ? Præmansum in os absque labore ponи sibi cupiunt. Num ita pervenitur ad astra?

Si noxia sunt ex metallis tracta medicamenta, quod falso fictum est: cur erogata pecunia, quotquot sunt fere Medici recentiores, Chymistas locant, a quibus addiscant ea, quæ noxia fore dicunt? Cur etiam præparatum antimonium hominibus administrant, cum dicant, venenum esse præsentissimum, hoc ipso se- ipsos homicidas libenter fore velle confitentes?

Quî potest venenum ignis ferre martyria, quæ sustinere cogitur antimonium in sui præparatione? Adferant ipsi venenum in tota rerum natura, quod igne levi non evanescat in auras. Quid aliud effingent, nisi quod naturam & vires igneas induerit corrosivas, eo suam inanem Philosophiam atque Physicam prodentes? Nam oportet omne medicamentum, quod corruptiones absumere debet, igneæ fore substantiæ. Nihil enim consumit, quod ignis in eo contenti facultatibus id non faciat.

Dicent ad hoc, naturalem calorem etiam absumere. Contrarium apparet, naturaque docetur, ex eo, quod semper sibi similem naturam appetit, scilicet ignis ignem, & aer aerem: & sic de cæteris. Et ignis ille, qui de mineralibus, vel aliis corporibus, artificialis ignis elicitor beneficio, similis factus est æthereo, qui corpus humanum fovet, igni, vivificatque.

Sequitur igitur ex eo, quod ignem augebit vitalem, de quo supra dictum est. Ætherei quidem ignis est officium, omnes corruptiones per elementarem ignem causatas, generationis beneficio consumere: tum, quod istius edacitate consumitur ex humido radicali, illius fœcunditate per alimentum, aut medicamentum restaurare. Adferant, quicquid velint: authoritatibus naturæ cedere cogentur.

Hactenus tamen de minima præparatione dictum est ex antimonio facta: quid iam contra tinturam eius & quintam essentiam dicent, cuius beneficio multi curantur Medicorum recentium incurabiles morbi? Quid habent contra quintam essentiam & tinturas

auri, pretiosorum lapidum, & unionum, ac aliorum, quod calumnientur, quibus omnes morbi, quos desperatos appellant, nedum curantur, sed etiam, quod ab aliquibus insciis Medicis destructum est in eorum curis, reparatur?

Breviter, quid respondebunt nobis affirmantibus, & ex luce naturæ demonstrantibus, unicum arte nostra Metaphysica fieri posse medicamentum, quo solo quibusvis & cuiusvis speciei morbis remedium indifferenter adhibetur certissimum? Non est dubium, quin, ut cætera, negaturi sint: ideo quod in scholis talia non docentur!

Sed nostræ Physics limites excessimus: ad eam nunc redeamus, quæ tam misere depravata est, & ex recta semita in fraudulentum labyrinthum lapsa.

Videmus Physicos recentes in cognoscendis vegetabilium nominibus, graduumque suorum qualitatibus, ætatem suam terere: tandemque nihil aliud inde reportare, præter superficialem istorum notitiam, ex vulgaris communisque notionis iudicio depromptam potius, quam de naturæ documentis apertissimis. Et si quilibet ætates tres in eo consumere posset, vix adhuc centesimam herbarum (ut alia dimittam) partem suis nominibus unico sermone (quas diversis tamen idiomatibus intitularunt) valeret appellare. Quid aliud hoc est, quam studiose seipsum in hunc labyrinthum iniicere, præter omnem necessitatem: cum in septem duntaxat metallis, & tantumdem plus vel minus mediis mineralibus, in viginti quinque vegetabilibus, & aliquot paucis animantibus, tota Physica depromi possit, ex profundo, non superficialiter, quæ ad integrum Artem medicam est necessaria?

Dicamne, quod magis admirari faciat? in unico totam consistere Medicinam. Velint nolint, hoc vera

metaphysica potest Hermetis Trismegisti, quæ veram & antiquissimam antiquorum patrum nostrorum docet Medicinam conficere.

In hac æquum foret Medicos recentiores breve tempus aliquod, relicto suo labyrintho, collocare. Non multis voluminibus est involuta: sed sola tabella, quæ vix pagellam impleat, absolutissima continetur, & veracissima præ cæteris omnibus scientia.

Quam, si cognoverim hosce labores nostros Medicis acceptos fuisse: quandoque de luce naturæ, nudam in lucem translatam a me, sine velamine videre licebit: sin minus arriserint, videant ac experiantur ipsimet, quid ex ea præstare fructus valeant. Interim non sinam illis prodesse, quod possim: & omnibus, quibus obstrusa magis, quam vulgaria, placent.

Bene sit his, quotquot veritatem diligunt, atque fatentur: illis enim solis veritatem invenire datum est.

*Grandia sunt hominum, subito labentia motu:
Irruta virtutis, mœnia sacra manent. ☩*

1. Carolina Thuysbaert in lucem quoque Francogallice edidit: *Paracelse, Dorn, Trithème*, Béya Éditions, Grez-Doiceau, 2012.

2. Qui plura de rixis illis scire cupiunt, legant: Stéphane Feye, *Défenseurs du Paracelsisme: Dorn, Duclu, Duval*, Béya Éditions, Grez-Doiceau, 2013. Cf. etiam: Didier Kahn (CNRS-Sorbonne), *Alchimie et Paracelsisme en France à la fin de la Renaissance (1567-1625)*, Droz, Genève, 2007.

3. Recordemur etymologiam traditam docere Æsculapium ('Ασκληπιός Græce) significare: 'A- (i.e. non), -σκλη- (i.e. siccus), -ηπιός (i.e. dulcis). Humiditas enim quedam medullæ dulcis impedit ne ossa sceletus aridus fiant. Qua de causa serpens (i.e. columna vertebralis) eius est symbolum.

ANIMO ÆGROTANTI MEDICVS EST ORATIO

adagium 2100

DE IMMENSO CÆLO (IX)

– *scripsit Gaius Licoppe –*

Paolo ante medium vicesimum saeculum aliquid patitur, quod humanam condicionem magis est mutatum, quam quicquam antea. Anno enim 1939 complures indagatores inveniunt nucleum atomicum uranii, gravis metalli, in duos minores nucleos scindi posse impactione neutroni; res mira, hac scissione liberatur energia ingens, i.e. 200 millones energiae unitatum (200 MeV), cum reactiones chemicae, solae adhuc adhibitae, unam tantum unitatem liberent (eV).

Paulo post, eodem anno, hypothesis ponitur neutrones ipsa scissione emitti, unde fiat ut processus scissionis sua sponte continuari et amplificari possit. Interea autem instat alterum bellum mundanum atque utrique adversari intellegunt interneciva arma inde posse confici. Germani, Hitlero duce, quamquam viros peritos habent, hoc propositum non valent ad effectum ducere; Americani contra terribilem novorum armorum efficacitatem anno 1945 demonstrant una bomba singillatim delentes Iaponicas urbes *Hiroshima* et *Nagasaki*; sic incohatur ævum atomicum, quod vocatur.

Iam ante nuclei uranii fissionem inventam, circa annum 1920, Anglus physicus Aston novam rem theoretice demonstrat: helii fabricatio arta coniunctione leviorum atomorum facta maximam energiae copiam liberat. Quod cum compertum sit, Anglo astronomo Arthuro Stanley Eddington in mentem venit stellarum energiam e coniunctione nucleari oriri. Germanus physicus, Carolus Fredericus, baro von Weizsäcker, anno 1937 formulam coniunctionis nuclearis in stellis divulgat (processus de Bethe-Weizsäcker dictus). A theoria tamen ad rei demonstrationem iter est longum; ingens enim temperatura necessaria est, ut incoheretur leviorum atomorum coniunctio, quæ sola fissione nucleari attungi potest; hac de causa bombæ novi generis vocantur thermonucleares. Anno 1952 soli Americani unam experiri valent, in qua atomorum hydrogenii coniunctio, displosione uranii fissi inducta, helium producit, energiam etiam multo maiorem liberans quam ipsam uranii fissione in bombis in urbes *Hiroshima* et *Nagasaki* missis liberatam.

Nunc astronomi iam non dubitant Solem constare ex ingenti coniunctione hydrogenii, qua helium dignitur.

Progressus in astronomia non fieri possunt nisi novis instrumentis: saecula vicesimum et vicesimum primum inauditis instrumentis abundant.

Cum anno 1958 Russi in Unione Sovietica tam potentem ruchetam confidere valuerint, ut primi parvum satellitem in orbitam circumterrestrem miserint, inter Russos et Americanos incohatur ingens æmulatio, unde ortæ sunt ruchetæ magis magisque potentes.

Anno 1969 Americani primi valent hominem in Lunæ solo ponere.

Americani ab anno 1972 concipiunt programma idoneum ad planetas, qui ultra orbitam terrestrem circummoventur, explorandos (*NASA = National Aeronautics and Space Administration*). Hoc eo fieri potest, quod annis sexagesimis Michael Minovitch monuit lovem, cui maxima est vis gravitationis, adhiberi posse ad percontatum¹ accelerandum ad longinquiores planetas versus; huic accedit quod inter annos 1976 et 1978 planetæ lineariter disponuntur; hæc rara planetarum coniunctio non plus quam semel in saeculo evenit. Tunc Gary Flando, potentissimo computatro adiutus, difficilimis calculis invenit viam, qua omnium planetarum gravitas adhibeatur ad accelerandam percontati celeritatem (*Gravity assist method*); hoc modo iter ad Lovem, Saturnum, Uranum et Neptunum explorandum non 40 annos producetur, sed tantum 10.

Anno 1977 NASA emitit duas machinas percontatorias *Voyager 1* et *Voyager 2* vocatas, quæ prædictam viam optime sequuntur. Illa percontatra, centum chiliogrammis instrumentorum scientificorum prædicta, appropinquant Lovem, Saturnum, Uranum, Neptunum et 48 eorum satellites, de quibus multi nuntii et accuratae imagines afferuntur. Omnia cæli explorationum illa est maxime frugifera; res mira, 36 annis post missionem, pergunt informationes mittere.

Anno 2012 *Voyager 1* ad limitem systematis solaris pervenit atque anno 2013 nuntiat idem e systemate solari exiisse; tunc primum aliquid arte factum vagatur in spatio interstellaris. Hoc percontatum pergit informationes mittere, quamquam a Sole abest 18 miliardis chiliometrorum! Circa annum 2020, nihil iam emittere poterit, quia tunc energia carebit, nec de eius sorte plura scire poterimus; proximam stellam solum post 40 milia annorum attinget, etsi a Sole discedit celeritate 17 chiliometrorum singulis secundis!




Percontatum *Voyager 1* (Wikipedia)

Cum astronomis nunc cooperantur multi alii scientifici, præsertim ei, qui ruchetas curant; eis in mentem venit telescopium in orbitam circumterrestrem mittere, ubi atmosphæra, quæ radios attenuat et plus minusve mutat, iam non interponitur. Ad studia tantum præparatoria suscipienda, magna pecunia necessaria est, quæ scientificis Americanis anno 1977 a regimine tandem datur. Cooperantibus Europæis, constructio telescopii spatialis, cui nomen datur clari astronomi Hubble, anno 1985 perficitur; diametru eius speculi est 2,4 m. Modo autem inexspectato non statim in orbitam mitti potest.

Americani enim eodem tempore naviculas spatiales exstruxerunt, quæ non solum in orbitam mitti possunt sed etiam inde ad Terram reverti integræ; necessariæ sunt ut telescopium *Hubble* in orbitam feratur. Anno 1986 accidit ut navicula *Challenger* initio ascensionis displodat. Septem astronautæ, inter quos primum numeratur femina, pereunt. Hoc terribili casu commoti, scientifici navicularum missiones morantur; sic fit ut anno demum 1990 telescopium in orbitam a Terra 600 chiliometris distantem mittatur navicula *Discovery*.

Infelicer autem cum telescopium esset in orbita, compertum est propter aliquem speculi defectum imagines non prædictas esse exspectata subtilitate. Telescopium ita exstructum est ut navicula ei posset religari; sic insequenti naviculæ missione, anno 2003, astronautæ possunt speculi defectum corrigere atque usque ad annum 2009 astronautæ navicula vecti telescopium quater adeunt novaque instrumenta ibi ponunt; sed tunc Americani, pecunia deficiente, stant finem facere missionum navicularum.

Telescopii officium triplex est: debet enim mappam stellarum vicinæ galaxiæ Andromedis conficere, in



Telescopium spatiale *Hubble* (Wikipedia)

profundo cælo galaxias omnis ætatis photographare magnosque galaxiarum greges ita investigare ut «materia nigra» detegatur (postea explicabitur quid sit materia nigra).

Telescopii orbita Terræ paulatim propior fit, ita ut circa annum 2020 in spissiorem atmosphærā intratum sit et combustionem passurum sit.

Usus tamen terrestrium telescopiorum non est derelictus; multa nova exstruuntur et collocantur, quantum fieri potest, locis excelsis, ubi tenuior est atmosphæra, et prope æquinoctialem circulum, unde latius patet visio cæli. Americani complura collocant in monte *Mauna Kea* in insula Havaiana sito, e quibus maximum anno 1993; *Keck I* vocatur et speculum habet 9,8 metra latum. Omnia vero telescopiorum maximum anno 2009 positum est in insulis Canariis; eius diametru est 10,4 m.

Anno 2009 Europæum Spatiale Institutum (ESA), partim cooperante NASA, ope ruchetæ *Ariane 5* mittit satellitem *Planck*, cuius orbita non est circumterrestris, sed circumsolaris. Eius officium est detegere microundas, quæ ex Universo ortæ sunt 380 milibus annorum post *Big Bang*, i.e. cum primum hæ microundæ e nascenti Universo emitti potuerunt, (cfr. «De Cælo VIII»; Arno Penzias et Robertus Wilson in radiis cosmicis detegunt microundas «cosmologicas» dictas), ac mapam conficere earum variationum. Mense Martio a. 2013 primæ conclusiones huius officii divulgantur, quibus confirmatur theoria expansionis Universi sed etiam exponuntur nonnullæ res inexspectatæ; restat ut valida explicatio eis postea detur.

Radiotelescopia quoque crescunt. Anno 2013 in Chilie deserto *Atacama*, altitudine 5 milium metrum, perfectum est giganteum radiotelescopium *Alma*, quod constat ex 66 ingentibus antemnis parabolicis inter se copulatis et in area 16 chiliometra longa dispositis. Antemnæ in regulis ita moventur, ut binæ inter se distare possint 16 chiliometris; cum interferometria utantur, antemnæ diametru virtualis sed efficax etiam crescere potest uque ad 16 chiliometra. Hæc omnia eo fieri possunt, quod antemnæ religantur ad præpotens ordinatum.

Hoc radiotelescopio capiuntur undæ electromagneticæ millimetricæ et submillimetricæ, quæ telescopiis opticis recipi non possunt, cum multo breviores sint undæ electromagneticæ, e quibus constat lux.

Sic observari possunt nubes moleculares, in quibus nascuntur stellæ; monstrabitur etiam quomodo planetæ nascantur circa stellas et quomodo formentur galaxiæ; detegentur ingentes lacunæ nigræ, cum instrumentum inspicere possit etiam trans nubes inter-



Giganteum radiotelescopium
Alma (Wikipedia)

stellares. Astronomi inde multa nova exspectant de Universi initio.

Hic notandum est non omnes scientificos theoriam *Big Bang*, secundum quam Universum initium habuerit in singulari punto, habere pro certa; multi enim autem argumenta alio modo interpretari posse putantque Universum esse stabile, semper exstisset, semper exstitutum esse; materiam continuo creari.

His extraordinariis sumptuosissimisque machinis prædicti, quid astronomi de cælo adhuc compererunt? Dicamus imprimis compertum esse leges physicas, quas in Terra et systemate solari invenimus, in toto Universo valere; Universum enim est unum; nisi sic esset, nihil de eo comperire possemus.

Iam inventum erat Terram non esse centrum Universi. Neque Sol est centrum galaxiæ, cui Antiqui nomen dederunt Viam Lacteam; situs enim est in margine galaxiæ spiralis, in cuius bracchiis continentur complura stellarum miliarda. Diametrus Viæ Lacteæ est circiter 100 milia AL (Annorum Lucis). In capitulo VII iam dictum est unitatem astronomicam AL esse distantiam quam lux (celeritate 300 milium chiliometrum singulis secundis) intra unum annum emetitur; tantam distantiam nobis vix fingere possumus! Sic comperimus nos homines esse minimum pulveris granum in immenso cælo.

Detectum est Viam Lacteam pertinere ad Universum, quo continentur complura aliarum galaxiarum miliarda, inter quas sunt minores et maiores. Priores astronomi galaxiarum structuram detegere non valebant; eas vocabant stellas nebulosas.

Compertum est Universum initium habuisse ante 13,7 miliarda annorum, secundum theoriam *Big Bang*; tunc temporis calidissimum erat et tam parvum, ut physici hoc initium mathematice describere non possint; est, ut dicunt, aliqua «singularitas». Universum ab eo primo punto non desinit expandi et stellas gignere.


Stellæ diversæ sunt magnitudine, sed etiam claritate et colore; hoc pendet a tempore earum vitæ; nascentur enim, vivunt et moriuntur. Sol natus est ante 4,5 miliarda annorum; in astronomicorum vocabulario

vocatur stella «nana flava»; gradatim calidior fiet ac, cum decem miliarda annorum habebit, fiet «gigantea rubra» et postea «nana alba».

Supernovæ, quæ vocantur, sunt stellæ, quæ subito apparent et quarum claritas claritatem ceterarum stellarum valde superat, sed breviter; causa huius rei est displosio alicuius stellæ. De Terra raro adspiciuntur, semel, bis, ter intra unum sæculum.

«Quasar» (*quasi stellar radio source*), quorum amplius 200 milia detecta sunt, corpora cælestia sunt maximæ claritatis; ita longissime a nobis in Universo absunt, ut eorum aspectum videamus, qualis erat circa Universi initium. Eorum claritas est regulariter periodica et tanta energiæ copia eget, ut energia nuclearis ex atomorum coniunctione orta non sufficiat ad eam explicandam; verisimiliter agitur de energia gravitationali, de qua plura hic non dicam.

Recentius detectæ sunt «lacunæ nigræ» (Fr. *trous noirs*, Angl. *Black hole*), quæ re vera non sunt lacunæ, sed globi, quibus tanta facta est vis gravitationis, ut ne lux quidem emitte possit; quare nigri sunt et solis methodis indirectis, præsertim gravitatione,



Via Lactea, qualem nobis fingere possumus;
Sol est in extera braccii parte (Wikipedia)

detegeuntur; exstant maiora et minora; saepe inveniuntur in galaxiarum centro; Via Lactea etiam habet in suo centro lacunam nigrā. In lacunis nigris materia tam contracta est, ut lacuna eiusdem massæ ac Sol diametrum habeat tantum 6 chiliometrorum. Lacunæ nigræ quoque mathematicis sunt «singularitates» indeprensæ.

Iam diu homines quærunt num alii sint planetæ, ubi aliqua vita esse possit. Ab anno demum 1990 astronomi externos planetas detegere coeperunt, sed modo indirecto. Sæculo XXI externi planetæ observatione directa inventi sunt. Usque ad annum 2013, 854 externi planetæ certe detecti sunt in Via Lactea, quorum fere omnes maiorem massam habent quam Terra; 100 miliarda planetarum putantur exstare in nostra galaxia, e quibus minimum 17 miliarda eiusdem magnitudinis sunt ac Terra. Num condiciones necessariae ad vitam nostræ similem in nonnullis exstant, adhuc nescimus.

Longe abest, ut astronomi omnia in Universo intellexerint. Apparuit inter alia massam luminosam omnium corporum cælestium, i.e. massam eorum, quæ observantur, sexies minorem esse quam massam dynamicam, quæ deducitur de gravitationis effectibus. Cum gravitatio sit universalis nec a claritate pendeat, massa dynamica videtur esse magis credibilis. Hæc magna differentia explicatur hypothesi «materiæ nigræ» (Fr. *matière noire*, Angl. *dark matter*), i.e. quæ adhuc videri non potest; hæc vero hypothesis comprobari nondum potuit.

Non solum semper novæ quæstiones oriuntur, sed Universum initium et historiam habere incommodat scientiam atheistam, quæ mavult Universum stabile esse et æternum; quare nunc cogitant de multis exteris universis vel de cyclo, quo Universum pereat ac

perpetuo renascatur. Si hoc forte demonstretur, non solvatur hæc quæstio: possuntne hæc omnia fortuito exstare?

Iam diu fracta est illa Aristotelis sphæra crystallina stellis hærentibus ornata. Stellæ errantes, ut antiquitus dicebatur, re vera sunt planetæ systematis solaris; eorum motus tam regulares immutablesque hominibus videbantur, ut haberentur horologium cæleste. Comperimus vero res in Universo non esse regulares, sed chaoticas et violentissimas.


Sæculo XVIII Voltaire scribebat: «Universum me perturbat; cogitare non possum hoc horologium exstare et horologiario carere».² Hoc argumentum iam non valet.

Ineunte quarto sæculo quidam rhetor Gallus coram iuveni imperatore Constantino hanc recitavit invocationem: «Quamobrem te, summe rerum sator, cuius tot nomina sunt quot gentium linguas esse voluisti (quem enim te ipse dici velis, scire non possumus), sive tute quædam vis mensque divina es, quæ toto infusa mundo omnibus miscearis elementis et sine ullo extrinsecus accidente vigoris impulsu per te ipsa movearis, sive aliqua supra omne cælum potestas es quæ hoc opus tuum ex altiore naturæ arce despicias: te, inquam, oramus et quæsumus ut hunc in omnia sæcula principem serves».³ Nonne huius rhetoris mira verba post septemdecim sæcula adhuc valent? ☺

1. Fr. *sonde*, Angl. *probe*.

2. «L'Univers m'embarrasse et je ne puis songer / Que cette horloge existe et n'ait point d'horloger» (Voltaire, *Les Cabales*, v. 111-112).

3. *Panegyricus IX*, 26.



DE NOVIS VESTIBVS PRINCIPIS

- fabula Iohannis Christiani Andersen quam in Latinum vertit Francisca Deraedt -

Erat olim princeps, qui vestes novas adeo amabat, ut totam pecuniam erogaret in vestitum. Cum exercitum recognoscebat, cum ad spectaculum ibat, cum ambulabat, nullum ei erat propositum, nisi ut nova ostenderet vestimenta. Omni hora vestes mutabat, ac sicut de rege dici solet: «Rex est in consistorio», de eo dicebatur: «Princeps est in vestiario».

Urbs caput erat vere iucunda: multi enim extranei illac transire solebant. Aliquo autem die duo latrones etiam advenerunt, qui, se textores esse simulant, professi sunt se texere scire telam omnium pulcherriam. Non solum colores et ornamenti esse eximie pulchra, sed insuper vestes ex hoc textili confectas prædictas esse virtute mirabili: eas enim nullo modo cerni posse ab hominibus qui muneri suo essent impares aut mentem haberent angustam.

«Huiusmodi vestes, princeps cogitavit, pretiosissimæ sunt; earum ope detegam ministros meos imperitos; prudentes a stultis distinguere potero. Re vera, hæc tela mihi est necessaria.»

Tum duobus latronibus magnam pecuniæ summam in antecessum dedit, ut opus statim incohare possent.

Et re vera duas machinas textorias instruxerunt seque laborare simulaverunt, quamquam omnino nihil erat in fusis. Delicata serica aurumque splendidum continuo poscebant; quæ omnia in proprio sacco ponebant, machinis vacuis usque mediam noctem laborantes.

«Tamen scire oportet quid agant», ait princeps.

Anxius tamen cogitabat homines stultos aut inscritos telam videre non posse... Non quod de se ipso dubitaret... Opportunum tamen visum est alium præmittere, qui rem inspiceret. Interea omnes urbis incolæ de mirabili tela virtute audiverant, omnes avebant scire num vicinus esset inscritus aut stolidus.

«Ad textores mittam meum veterem ministrum, cogitavit princeps; ipse enim de tela optime iudicare valet, qui ingenio emineat et virtute.»

Probus minister oœcum intravit, ubi latrones vacuis machinis laborabant.

«Bone Deus! cogitavit magnos aperiens oculos, nihil video.» Nihil tamen dixit.

Textores invitaverunt ut proprius accederet; rogaverunt num placent colores et ornamenti. Simul machinas monstrabant, quas senex intentis oculis specitavit; at nihil vidit, ea simplici ratione, quod nihil erat.

«Bone Deus! cogitavit, sumne plane stultus? Hoc oportet nemo suspicetur. Sumne tam imperitus? Fateri non audeo me nullam videre telam.

– Quid ergo? Quid censes? interrogavit textor.

– Bellum, vere bellum! respondit minister perspicillum induens. Hæc ornamenti, hi colores... Principi

dicam me hæc omnia magni æstimore.

– Hoc nobis prodest», dixerunt textores. Atque ei monstraverunt colores et ornamenti ficticia, quibus nomina dabant. Vetus minister attentissimus erat, ut omnes explicationes principi referre posset.

Fures pecuniam, serica, aurum semper poscebant; maximam copiam huic telæ esse necessariam. Hæc autem omnia sibi assumebant; interea machina manebat vacua, ac perpetuo laborabant.

Aliquanto post, princeps alium misit honestum ministrum, qui telam eiusque confectionem inspiceret. Id etiam ei accidit, quod priori: spectabat et spectabat, at nihil videbat.

«Nonne tela est eximia? fraudatores rogaverunt, monstrantes ornamenti magnifica pulchrosque colores, qui non exstabant.

– Attamen stultus non sum! cogitabat vir. Ergo muneri meo impar? Mirabile; munus tamen perdere nolo.»

Itaque telam laudavit, et multas admirationes protulit in colores et ornamenti.

«Nihil exstat magnificentius», dixit principi, ac tota urbs de hac unica tela garriebat.

Denique ipse princeps eam videre voluit, adhuc in machina positam. Magna corona comitante, in qua etiam erant illi duo ministri honesti, adiit astutos fures qui semper texebant, nullo tamen adhibito filo serico, aut aureo, aut ullius generis.

«Nonne magnificentum est! dixerunt illi duo ministri honesti. Et ornamenti et colores digni sunt Tua Maiestate.»

Ac digito vacuam ostenderunt machinam, tamquam si ceteri aliquid ibi videre possent.

«Quid est hoc? cogitavit princeps, nihil video. Væ mihi! Sumne stultus? An imperio parum idoneus? Nil miserius mihi accidere potuit!» Tum subito clamavit: «Magnificum est! Declaro me rem vehementer probare.»

Annuit vultu contento, machinam contemplatus est neque verum dicere ausus est. Omnes aulici similiter spectaverunt, unus post alterum, nihil omnino videntes, ac sicut princeps aiebant: «Magnificum est!» Suaserunt etiam ut novam vestem indueret occasione proximæ pompæ. «Magnificum est! Bellum est! Admirabile est!» uno ore clamabant, et omnes gaudebant.

Fraudatores insignibus ornati sunt necnon titulo nobilium textorum.

Pridie pompæ per totam noctem vigilaverunt et laboraverunt luce sedecim candelarum. Eos operæ non parcere, omnes videre poterant. Denique simulaverunt se telam e machina tollere, magno forfice aera secuerunt, acu sine filo suerunt, tandem nuntiaverunt ves-

tem esse perfectam.

Princeps, sequentibus ministris, processit ad rem inspiciendam. Latrones autem, brachium sublevantes tamquam si tenerent aliquid, dixerunt: «Ecce bracas, ecce vestem, ecce amiculum. Leve est sicut araneum. Nullum est periculum quin corpori tuo sit oneri: hæc est prima huius telæ virtus.

– Procul dubio», aiebant ministri. Nihil tamen videbant, cum nihil esset videndum.

«Si Tua Celsitudo vestem ponere dignabitur, dixerunt fraudatores, ei nova vestimenta ante speculum induemus.»

Princeps se nudavit, ac fures simulaverunt se vestem afferre aliam post aliam. Eius corpus tractaverunt tamquam si quid aptare vellent. Ille se contorsit ante speculum.

«Magne Deus! Quantum convenit! Factura quam elegans! omnes aulici conclamaverunt. Qualia ornamenta! Quales colores! Quam pretiosa vestis!»

Magister cærimoniarum intravit.

«Velum, sub quo Tua Maiestas est pompam spectatura, adest, inquit.

– Bene! Paratus sum, respondit princeps. Puto me haud indecorum sic esse.»

Ac se iterum versavit ante speculum, ut proprium consiperet splendorem.

Camerarii, quibus erat longa stola tenenda, simularunt se aliquid humi sumere; manus tum sustulerunt, nolentes fateri se nihil omnino videre.

Dum princeps pompam superbe petit sub velo suo magnifico, in via deque fenestris totus populus clamabat: «Quam lauta vestis! Ut stola est formosa! Quam perfecta factura!» Nullus ostendere volebat se nihil videre: nam stulti habiti essent, aut impares muneri.

Numquam antea principis vestimenta tantam moverant admirationem.

«Sed nullam omnino vestem habet, ut mihi videatur, ait puer quidam.

– Domine Deus, ausulta vocem innocentem!» inquit eius pater.

Homines mox pueri verba susurrabant:

«Puer quidam dicit principem nullum habere vestimentum!

– Nullum habet vestimentum!» totus denique clamat populus.

Princeps inde maximo affectus est pudore: ei enim videbantur recte dicere. Firmum tamen consilium cepit: «Quidquid id est, maneam oportet usque ad pompæ finem!»

Tum etiam superbis incessit, et camerarii magna reverentia stolam portare perrexerunt, quæ non exstabat. ☩

DE NOVIS LIBRIS

Clément DESESSARD, *Latein ohne Mühe*, Deutsche Übersetzung und Bearbeitung von M. FISCHER & S. GAGNEUR, Korr. A. Gratius Avitus, Uvius Fonticola, Rodrigo H. Kahl, Köln, Assimil, 2013, 623 p.
ISBN 978-3-89625-029-2

Postquam in Francogallia domus editoria Assimil anno 2007 novam publicavit vereque calamitosam rationem linguae Latinæ docendæ (*Le latin*, coll. Sans peine), multum exspectabatur reeditio clari operis a Clemente Desessard anno 1966 exarati. Quod nunc peropportune factum est, versione saltem Theodisca. Ei, qui olim delectati sunt libro *Le latin sans peine* inscripto, non sine gaudio eandem formam invenient, facetias, iocosas delineationes, discendi processum. Ipsæ lectiones, præter nonnullas emendationes quæ necessario erant faciendæ, non sunt mutatae. Exercitia pæne manent similia, ita tamen aptata ut efficacius eveniant. Annotationes autem Theodisce conscriptæ omnino sunt novatae nec raro auctæ: exempli gratia, ubi M. Porcius Cato quattuor lineis commendabatur Gregoriusque Turonensis nomine tantum citabatur, eorum vita et opera longioribus nunc commentarii adumbrantur.

In extremo libro invenitur index grammaticus, coniugationes, index verborum temporalium eorumque partium principalium, appendix de neologismis, lexicon Latino-Theodiscum (quod lexicon in Francogallica editione desiderabatur, etsi alia grammatica præbebantur, quæ hic desunt), pauca bibliographica, nexus interretiales, denique utile capitulum de lingue Latinæ pronuntiatu. Opus ergo laudabile, procul dubio.

In hoc fasciculo !

De bodierno Latinitatis vivæ statu [G. Licoppe] p. I

Superstes [D. Blanchard] p. 3

Gerardi Dornei Belgæ de satis ironica artis medicæ historiæ summa [S. Feye] p. 7

De immenso cælo (IX) [G. Licoppe] p. II

De novis vestibus principis [I.C. Andersen - F. Deraedt] p. 15

Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti: umbrarum theatrum:

De novis vestibus principis (theatredesombres.free.fr).

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

in museo Domus Erasmianæ a Melissa præbetur omni Martis die ab hora 18 ad horam 19.30. Duo sunt lectionum gradus, et incipientibus et magis progressis apti.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

